

in antea vacatura, per hujusmodi reservationem & decretum remanente & remanere semper affecta, nullumque de illis (cum primu vacare contigerit) prater eundem Romanum Pontificem ea vice quovis modo disponere potuisse sive posse: harum serie decernimus, & pariter declaramus. Quod tam in pendentiis etiam per appellationem, quam in futurum super eisdem Beneficiis, ut pramittitur, reservationis committendis causis, per dilectos filios Auditores, atque alios quoscunque Delegatos & Judices ubilibet invitabiliter observari: & secundum praemissa nec aliter sententiam & definiti, volumus atque mandamus eis, & eorum cuilibet, quavis alia super praemissis interpretandi facultate sublatam: decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, declarationis, voluntatis, mandati & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae M. CCCCLXXVII. Kal. Septemb. Pontificatus nostri anno tertio.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

TITULUS III.

I. JOHANNES XXII. Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. [c. an. 1318. Avenioni.]

Papa volens providere Divino cultui & Ministris ejusdem, & occurrere dispensis, qua ipsi quotidie imminuit propter occupationes vacantium Ecclesiarum primi anni, qua competunt ex diversis titulis aliquibus Ecclesiis seu personis: statuit, quod quando talis occupatio imminuit in Beneficiis, que consueverunt in decima solutione taxari, Collectores ipsorum annuatum sint contenti ipsa summa, pro qua consuevit dari decima, si ipsum eligendam duxerint, totali residuo penes eum qui collatum est Beneficium, remanente, vel dimissa eidem summa praedicta, possint dictum residuum sibi assumere, dum tamen alterum intra decem dies dicti eligam Collectores: alias post decem dies ipsorum optio in Beneficiatum transeat ipso jure. In non taxatis autem fructus decimales illius anni dividantur per medium, & utrique eorum medietas tribuatur: ita quod si alter dimidia noluerit contentari, ipsa in volentem transeat ipso jure. Et si quicquam aliquis contra dictam ordinationem receperit, penas hic contentas incurrat.

* Vide Extravagan- tam Pi V. Pontificis Maximi, incip. Durum nimis.

SUSCEPTI regimini nos cura sollicitat, ut qua in Ecclesiis non absque dispendio Ministrorum, & cultus detrimentum Divini, servari videamus, per appositionem congrui moderatorum in melius reformemus. Cum itaque in nonnullis Ecclesiis observetur, & a longis retroactis temporibus fuerit observatum, quod fructus & primi vel secundi, aut alterius cuiusque sequentis anni Beneficiorum vacantium in eisdem defuncto vel Fabrica, aut Ecclesiis vel personis habentibus annalia de consuetudine, privilegio, vel statuto applicentur in totum: ita quod illi qui hujusmodi Beneficia canonicè obtinent, & ad quos alias de jure fructus ipsi spectare deberent, nihil inde percipiunt: unde illud inconueniens sequitur, quod commode nequeunt ad impendendum servitium debitum residere in Ecclesiis, in quibus Beneficiati existunt. Nos de illo super his remedium providere volentes, per quod hi & illi in fructuum perceptione praedictorum participant, & Ecclesiae debitis servitiis non fraudentur, praesenti decreto statuimus, de Fratrum nostrorum consilio, quod illi qui fructus praedictos sibi haecenus integre vendicabant ex privilegio, de consuetudine vel statuto, nihil exinde ultra summam, pro qua unumquodque Beneficiorum ipsorum consuevit in decima solutione taxari, pretertaxi cuiusvis privilegii, consuetudinis vel statuti quovis modo percipiant: sed ipsius summæ perceptione duntaxat sint omnino contenti, totali residuo praedicta obtinentibus Beneficia remansuro; nisi forsitan illi qui fructus eisdem soliti fuerint, ut praefertur, cum integritate percipere, pro se mallet ipsam habere residuum, & obtinentibus ipsa Beneficia summam dimittere memoratam; quo casu percipiendi, quod maluerint, illis relinquimus optionem: sic quod intra decem dies postquam sciverint Beneficia ipsa vacare, si, quibus annalia ipsa debentur ex privilegio, consuetudine vel statuto, ut ipsorum annuatum Collectores, quam partem habere voluerint; an scilicet decimæ taxationem, vel illa dimissa residuum (nulla substatatione praemissa) eligere teneantur. Quam electionem si intra dictos decem dies non fecerint, ut est dictum, ex tunc ad eum, cuius est Beneficium, hujusmodi optio vel electio transeat ipso jure. Et hoc in Ecclesia & partibus illis, in quibus Beneficia majora & alia, quantum ad

olutionem decimæ sunt taxata, volumus observari. In illis vero partibus & Ecclesiis, in quibus decimarum taxatio non est facta, servetur quod fructus & obventiones beneficii tunc vacantis, quos in decima solvere consuevit, per medium dividantur: quorum medietatem habeat is, cui annuatum per alterum de praedictis modis perceptio est concessa. Reliquam vero medietatem percipiat ille, cui Beneficium est concessum pro sustentatione sua, & aliis Ecclesiae oneribus supportandis. Quod si alter de praedictis praedicta medietate voluerit esse contentus, altero contentari nolente, pars nolentis ipso jure transeat ad volentem, & volens fructus & obventiones illius beneficii percipiet universos, eidem beneficio congruè faciendis deserviri, ac ejus supportans onera consueta. Et si quicquam aliquis praedictorum ultra praemissa perceperit, illudque his, ad quos pertinet intra mensem non restituerit cum effectum: eo ipso si Episcopus vel Superior Prelatus fuerit, a Pontificaliibus & ingressu Ecclesiae noverit se suspensum. Si autem Capitulum, Universitas vel Collegium, Ecclesiasticum interdico se noverit, donec praedicta cum integritate restituerit, subjacere. Si vero aliqua singularis persona Ecclesiastica vel mundana id fecerit: excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, a qua, nisi restitutione praemissa, praeterquam in mortis articulo, minime absolatur: non obstantibus quibuscunque privilegiis vel indulgentiis aut contrariis consuetudinibus, aut contrariis statutis, iuramento, confirmatione Sedis Apostolicae, aut alia quacunque firmitate vallatis. Quae omnia quoad haec auctoritate Apostolica revocamus, cassamus, & irritamus, & nullius deinceps esse volumus firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, revocationis, cassationis, & voluntatis infringere, vel ei, &c. Si quis, &c. Datum Avinion. Kalend. Novemb. Pontifici. anno ij.

DE REBUS ECCLESIE NON ALIENANDIS.

TITULUS IV.

I. PAULUS VENETUS PAPA II. [an. 1468. Roma.]

Bonorum Ecclesiasticorum alienatio non tenet, & alienantes, & recipientes sint excommunicati: Praelatisque diversis, diversa pena imponuntur.

AMBITIOSA cupiditati, illorum praecipue, qui divinis & humanis affectibus damnatione postposita, immobilia & pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesiae, Monasteria & pia loca reguntur, illustranturque, & eorum Ministri sibi alimonia vendicant, profanis usus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento exquisitis mediis usurpare praesumunt, occurrere cupientes: Omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem; omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, necnon infectionem vel contractum emphiteuticum, praeterquam in casibus a jure permittis, ac de rebus & bonis in emphiteutium ab antiquo concedi solitis, & cum Ecclesiis evidenti utilitate, ac de fructibus & bonis, qua servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione praesenti fieri prohibemus: praedecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, qua tenore praesentium innovamus, in suo nihilominus robore permanuris. Si quis autem contra hujusmodi prohibitionis seriem de bonis & rebus eisdem quicquam alienare praesumpserit: alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res & bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat: Alienanti vero bona Ecclesiastica, Monasteriorum locorumque piorum quorumlibet inconsulto Rom. Pont. aut contra praesentis constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali praefulgeat dignitate, ingressu Ecclesiae sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes, sub interdico hujusmodi animo, quod abist, perseveraverit indurato: lapsis mensibus eisdem e regimine & administratione suae Ecclesiae vel Monasterii, cui praesidet in spiritualibus & temporalibus, sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Praelati, commendatarii, & aliarum Ecclesiarum rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioribus, praepositis, praepositis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officis, canonicatibus, praebendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura & sine cura secularibus, & regularibus beneficiis, quorum res & bona alienantur duntaxat, ipso facto privati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare cessentur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis, illis exceptis qua propterea private fuerint, liberè de jure conferri: nisi alias dispositioni Apost. Sed. sint specialiter, aut generaliter reservata. Nihilominus alienatae res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria & loca pia, ad quae ante alienationem hujusmodi pertinebant,

f Vide Conc. Trident. sess. 25. de refo. c. 11.

liberè revertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis & innovationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Do. Incarn. M. CCCC. LXVII. Kalend. Martii, Pont. anno iv. **¶** PITH. *Inconsulto Romano Pontifice.* Vide cap. 21. de reb. Eccles. non alienand. in vi.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

TITULUS V.

I. MARTINUS V. Venerabilibus Fratribus Treveren. & Lubicenen. ac Almi-cen. Episcopis. [c. an. 1420. Romae in Germaniam.]

Contractus emptionis & venditionis annui census cum conditione revenditionis, declaratur hic non esse usurarius. Et in fine mandatur, quod hujusmodi bulla publicetur.

De materia hujus Extravagantis vide gloss. & Doctores in c. conquestus, de usur. & Bolum in ca. ad nostram, de empt. & vend. Ancl. consil. 20. incip. Dubitari solet. Felinum in c. si cautis, de fide instr. & Sotum lib. 6. de Just. & Jur. q. 5. ar. 3.

REGIMINI universalis Ecclesiae, quamquam immeriti disponente Domino praesidentes, curis angimur afflidis, ut juxta credite nobis dispensationis officium, subditorum quorumlibet paci & quieti, quantum nobis ex alto conceditur, intendamus. Et dubia, qua inter eos oriuntur pro tempore, ne litis anfractum, seu scandalorum parturiant fomentum, litro moderamine declaramus. Sanè petito dilectorum filiorum universorum Cleri, nobilium, incolarum, & habitatorum civitatis & Diocesis Uratislaven. nobis exhibita continebat: quod a centum annis circa, & supra, & a tanto tempore, & per tantum tempus, cujus contrarii memoria hominum non existit: in eisdem civitate & Diocesi, ac partibus aliis vicinis, quaedam consuetudo rationabilis observata, praescripta, ac moribus ventium approbata, ad communem hominum utilitatem introducta fuisset. Pro quibus princeps, baro, miles, civis, sive oppidanus partium earundem, cum hoc expedire videbatur, melius pro tunc non valentes sibi consulere, personae Ecclesiasticae, aut seculari Collegio, aut universitati, oppido vel civitati, super bonis suis, dominiis, oppidis, terris, agris, praediis, domibus, & hereditatibus vendere consuevit, & vendidit annuos census unius, vel plurium marcarum, aut grossorum Pragenium nummi Polomei, & pagamentis conlucti: ad rationem, & pro qualibet marca annui census, x. xi. xiii. xiv. marcæ, aut plus vel minus, secundum temporis qualitatem, vendit ipsi contrahentes tunc inter se convenerant. Ipsi venditori tunc integratim haec pecunia numerata solvi conlueverant, bonis in ipso contractu tunc expressis, pro ipsius census annui exolutione in perpetuum obligatis. Et tunc in ipsis contractibus expressè ipsis venditoribus data fuit facultas atque gratia, quod ipsum annuum censum in toto, vel in parte pro eadem summa denarium, quam ab ipsis emptoribus receperunt, quandoque velent liberè abique aliqui acquisitione, contradictione, vel assensu possent extinguere & redimere, ac se ab ipsius census solutione extunc penitus liberare. Sed ad hoc hujusmodi census venditores invitiquaequam per emptores arctari, vel adstringi valent: etiam ipsi possessionibus, & bonis obligatis penitus interemptis, seu destructis. Fuitque, & est talis contractus emptionis & venditionis per Episcopos Uratislaven. pro tempore existentes, & eorum Officiales, necnon per diversos domos temporales locorum & terrarum, in quibus census hujusmodi constituti existunt, tanquam licitus & communi utilitati delerviens, saepius confirmatus pariter & approbatus. Quodque etiam super hujusmodi censibus plurima beneficia Ecclesiastica, Collegia, Canonicatus, & praebendæ, dignitates, personatus & officia, Vicarie, altaria numero plus quam duo millia, de expresso consensu, & voluntate dominorum temporalium, sub quorum territoriis dicta bona obligata constitunt, erecta, dotata, & fundata, authenticis eorumdem dominorum temporalium literis sigillis sigillatis, & roboratis fore noscuntur. Quodque etiam venditores eorumdem censuum se nonnunquam ad ipsorum censuum locorum spontè & liberè submiserunt: sicut etiam aliqui eorum tractu temporis compulsi fuerunt, & compelli conlueverunt. Tamen nonnulli ex venditoribus ipsis in arcum pravum conversi, cupientes cum alterius pecunia locupletari, hujusmodi census hucusque per eos antea liberè, & absque ulla contradictione solutos eisdem emptoribus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus solvere contradicunt & recusant, conlingentes hujusmodi emptionis & venditionis contractus fore, & esse usurarios & illicitos: ipsos emptores Ecclesiasticos & seculares, necnon Collegia, Canonicatus, & praebendas, & dignitates, personatus, officia, vicarias & altaria, ac beneficia hujusmodi ipsorum annuorum censuum spoliant perceptione, & detinent spoliantes, in animarum suarum periculum: eorumque emptorum praedictum, damnum & gravamen. Et propterea an contractus emptionis & venditionis hujusmodi liciti existi-

stant, a nonnullis haesitatur. Quare pro parte eorumdem Cleri, nobilium, incolarum, & habitatorum civitatis & Diocesis Uratislaven. nobis fuit humiliter supplicatum, ut an contractus hujusmodi liciti vel illiciti cenleri debeant declarare, & alias eis in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati: Quia etiam ex relatione dilecti filii nostri Gulielmi tituli Sancti Marci Presbyteri Cardinalis, cui negotium hujusmodi cum peritorum consilio commissimus examinandum: comperimus contractus hujusmodi juridicos, & juxta determinationem Doctorum licitos fore. Ad hujusmodi ergo ambiguitatis tollendum dubium in praemissis, praefatos contractus, licitos, & juri communi conformes, ac ipsorum censuum venditores, ad illorum solutionem, remoto contradictionis obstaculo, obligari aucto. Apost. tenore praesentium ex certa scientia declaramus: Non obstantibus praemissis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Volentes, quod praedicta litera nostra debitum forliantur effectum: fraternitati vestrae per Apostolicam scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios, praefatis emptoribus in praemissis opportuni favoris praesidium efficaciter impendentes, dictaque literas, ubi, quando & quoties expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicantes, faciatis eadem auctoritate eisdem emptoribus, vel ipsorum procuratoribus eorum nominibus, per venditores, seu debitores censuum hujusmodi de praefatis censibus juxta contractum & conventionium inter ipsos habitorem formam & tenorem, plenam & debitam satisfactionem impendi: Contradiutores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim a Sed. Apost. sit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romae, apud Sanctos Apost. 6. Nonas Julii, Pontifici. nostri anno octavo.

¶ PITH. *Praescripta.* Abscè a V. C. in quo legitur legitime. ² Polomai.] Polong.

II. CALIXTUS III. Episcopo Magdeburgen. Nurembergen. & Halberitaden. Ecclesiarum Decanis. [c. an. 1455. Romae in Germaniam.]

Contractum quantum emptionis & venditionis praecedenti similem declarat esse juri consonum, & ab usuris alienum. Et tandem jubet praesentem bullam canclis manifestari.

REGIMINI universalis Ecclesiae quamquam immeriti disponente Domino praesidentes, curis angimur afflidis, ut juxta nobis crediti dispensationem officii subditorum quorumlibet paci & quieti, quantum nobis ex alto conceditur, intendamus. Et dubia, qua inter eos oriuntur pro tempore, ne litis anfractum, seu scandalorum proveniant, debito, prout justitia persuaserit, declarationis nostrae ministerio fo-piantur. Sanè pro parte venerabilis fratris nostri Joannis Episcopi Mersburgen. & dilectorum filiorum universi Cleri civitatis & Diocesis Mersburgen. nobis nuper exhibita petitio continebat: Quod licet a tanto tempore, cujus contrarii memoria non existit, in diversis Alemanniae partibus, pro communi hominum utilitate, inter habitatores & incolas partium earundem talis inoleverit, hactenusque observata fuerit legitime praescripta, ac moribus ventium approbata consuetudo: Quod ipsi habitatores & incolae, sive illi ex eis, qui super eorum bonis, domibus, agris, praediis, possessionibus, & hereditatibus annuos marcarum flore, seu grossorum monetæ in partibus illis currentis, redditus, seu census vendentes, pro singulis ex marcis, florenis, sive grossis hujusmodi ab eis, qui illas vel illos, sive redditus sive census ipsos emerint certum competentis pretium, in numerata pecunia secundum temporis qualitatem, prout ipsi vendentes & ementes soliti fuere illa ex domibus, terris, agris, praediis, possessionibus, & hereditatibus praedictis, qui in hujusmodi contractibus expressè fuerunt, praedictorum solutione redditum, & censuum efficaciter obligantes, in illorum vendentium favorem. Hoc adjecto, quod ipsi pro rata, qua hujusmodi per eos receptam dictis ementibus restituerent in toto, vel in parte pecuniam, a solutione reddituum, seu censuum hujusmodi restitutam pecuniam contingit liberè forent penitus & immunes. Sed si dem ementes, etiam si bona, domus, terræ, agri, possessiones, & hereditates hujusmodi processu temporis ad probrum, necnon ipsam etiam agendo repetere non valeant. Apud aliquos tamen hesitationis versatur forsupulus, an hujusmodi contractus liciti sint censendi. Unde nonnulli illos usurarios fore praetendentes, occasionem quærunt reclusus, &

h Vide Dod. in proxima Extravaganti titulos.